

est, cum suæ carnis hostiam in altari Crucis offerret, Regis quoque dignitatem titulus præterit; qui non infra, sed supra Crucem ponitur: quia licet in Cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super Crucem tamen Regis majestatis fulgebat; quam per Crucem non perdidit, sed potius confirmavit.

Sequitur: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris. Hieronymus.* Sicut enim pro nobis maledictum Crucis factus est Christus, sic pro omnium salute internoxios, quasi noxios, crucifigitur. *Leo Papa in ferm. 4. de Passione Domini.* Duo autem latrones, unus ad dexteram, (1) & unus ad sinistram crucifiguntur, ut ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in iudicio ipsius omnium hominum est faciendi discretio. Passio igitur Christi salutis nostræ continet sacramentum; & de instrumento quod iniquitas Judæorum paravit ad penam, potentia Redemptoris gradum fecit ad gloriam. *Hilarius (can. 33.)* Vel aliter. Duo latrones lævæ, ac dexteræ assignantur, omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum passionis Domini ostendentes; sed quia per diversitatem fidelium, ac infidelium fit omnium secundum dexteram, sinistramque divisio, unus ex duobus ad dexteram ejus situs, fidei justificatione salvatur. *Remigius.* Vel per istos duos latrones designantur omnes qui arctioris vitæ continentiam apprehendunt: quicumque enim sola intentione placendi Deo hoc faciunt, designantur per illum qui à dextris Dei crucifixus est, qui vero pro appetitu humanæ laudis, vel aliqua minus digna intentione, designantur per illum qui à sinistris crucifixus est.

(h) *Chrysostromus (in hom. 88.)* Cum Christum denudassent, & crucifixissent, ultra procedunt, & in Cruce videntes afixum exprobrant ei: unde dicitur: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. Hieronymus.* Blasphemabant quidem, quia prætergredebantur viam, & in vero itinere Scripturarum ambulare volebant. Movebant autem capita sua, quia jam ante moverant pedes, & non stabant supra petram. Id ipsum autem insultans dicit fatuus populus, quod falsi testes confinxerant: unde sequitur: *Et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas. Remigius.* Vah interjectio est insultantis, sive irridentis. *Hilarius (can. 33.)* Quid ergo veniæ erit, cum post triduum reedificatum templum Dei in corporis resurrectione cernetur? *Chrysostromus (in hom.*

88.) Et quasi prioribus signis incipientes detrahere subjungunt: *Salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de Cruce. Chrysostromus in ferm. de Passione. (a)* Sed è contrario, quia Filius Dei est, ideo non descendit de Cruce: nam ideo venit ut crucifigeretur pro nobis.

Sequitur: *Similiter & principes sacerdotum illudentes eum scribis, & senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Hieronymus (super Alios salvos fecit.)* Etiam nolentes scribæ, & pharisæi consentunt quod alios salvos fecerit. Itaque vestra vos condemnat sententia: qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, & seipsum salvare poterat.

Sequitur: *Si Rex Israel es, ascende nunc de Cruce; & credimus ei. Chrysostromus in ferm. de Pass. Domini. (b)* Considera autem nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus enim dicebat supra 4. *Mitte te deorsum, si Filius Dei es; & Judæi dicunt: Si Filius Dei es, ascende de Cruce. Leo Papa ferm. 4. de Passione.* De quo erroris fonte Judæi tallium blasphemiarum venena potastis? Quis vobis magister tradidit? Quæ doctrina persuasit, quod illum Regem Israel, illum Dei Filium credere debeatis, qui se aut crucifigi non sine-ret, aut à confixione clavorum liberum corpus excuteret? Non hoc vobis legis mysteria, aut Prophetarum ora fecerunt; sed illud vere legitis Esai. 50. „Faciem meam non averti à „confusione sputorum.“ Et iterum Psalm. 21. „Foderunt manus meas, & pedes meos; dinu- „meraverunt omnia ossa mea.“ Numquid legitis: *Dominus descendit de Cruce?* Sed legitis Psalm. 98. *Dominus regnavit à ligno. Rabbanus (super Si Filius Dei es.)* Si autem tunc de Cruce surgeret, insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret; sed expectavit paululum, irrisionem sustinuit; & qui de Cruce surgere noluit, de sepulcro resurrexit. *Hieronymus (ibidem.)* Fraudulenta autem est promissio cum addunt: *Et credimus ei.* Quid enim plus est, de Cruce adhuc viventem descendere, an de sepulcro mortuum resurgere? Resurrexit, & non creditis: ergo etiam si de Cruce descenderet, non crederetis. Sed mihi videntur hoc dæmones immittere. Statim enim ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem Crucis, & intellexerunt fractas vires suas esse; & hoc agunt ut de Cruce descendat. Sed Dominus sciens adversationum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat.

Sequitur: *Confidit in Deo; & liberet eum nunc si*

(1) *Al. & alius.* *Ex edit. P. Nicol. (a)* Idem in hom. de Cruce & Latrone. *(b)* Non eodem quo supra, sed proxime sequente, cujus initium est *Hodie incipimus, carissimi, Crucis trophæum prædicare.*

si vult. Chrysostromus (in hom. 88.) O inquinati valde! Numquid Prophetae, & justi non erant, quia eos non eripuit à periculis Deus? Si autem illorum gloriæ non obfuit, quod eis pericula induxistis; multo magis in isto non oportebat vos scandalizari per ea quæ patitur, quia semper per ea quæ dixit, hanc vestram removit suspensionem. Sequitur: *Dixit enim, Quia Filius Dei sum: per quod ostendere volebant eum pati ob seductoris, & erronei causam, & sicut superbium, & vane gloriantem in his quæ dicebat. Sic ergo non solum Judæi, & milites desubtus eum deridebant, sed & desuper latrones cum eo crucifixi: unde sequitur: Id ipsum autem & latrones: qui crucifixi erant cum eo, imprecabantur ei. Augustinus de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 16.)* Potest autem putari Lucas repugnare ei quod hic dicitur, qui dicit, quod unus de laionibus blasphemabat eum, quem alter increpabat; nisi intelligamus Matthæum breviter restringentem hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse; sicut in epistola ad Hebræos cap. 11. legitur pluraliter dictum „Clauserunt ora „leonum,“ cum solus Daniel significari intelligatur. Quid autem usitatus quam ut aliquis dicat, En rustici mihi insultant, etiam si unus insultet? Esset autem contrarium, si Matthæus dixisset ambos latrones conviciatos Domino; cum vero dictum est *latrones*, nec additum est Ambo, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari. *Hieronymus (super Latrones imprecabant.)* Vel potest dici, quod primum uterque (1) simul blasphemaverit; deinde, sole fugiente, terra commota, saxisque dirupis, & ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, & priorem negationem sequenti confessione emendaverit. *Chrysostromus (in hom. 88.)* Ut enim non existimes ex quadam (2) convenientia id gestum fuisse, neque latronem fuisse qui latro videbatur, à contumelia ostendit tibi quoniam etiam in cruce positus latro erat, & inimicus, & repente transmutatus est. *Hilarius (can. 33.)* Quod autem latrones ambo conditionem ei passionis exprobrant, universis etiam fidelibus scandalum crucis futurum esse significat. *Hieronymus (ubi supra.)* Vel in duobus latronibus uterque populus Gentilium, & Judæorum primo Dominum blasphemavit; postea signorum multitudine alter exterius egit peccati.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al. scilicet. (2) Al. convenientia. (3) In quatuor sepe memoratis exemplis se legitur.* Inopinabiliter enim solium incidentem videbamus (non enim erat conventus tempus) & rursus ipsam à nona hora usque ad vesperam ad diametrum solis supernaturaliter restitutam; eclipsum etiam, & rursus non ex eodem & defectum, & repugnationem, sed è contrario secundum diametrum factam. *Ex edit. P. Nicol. (a)* Sive in hom. de Cruce & Latrone, cujus initium est *Hodie incipimus, ut jam supra.*

tentiam, & usque hodie Judæos increpat blasphemantes. *Origenes (tract. 35.)* Sed è latro qui salvatus est potest esse mysterium eorum qui post multas iniquitates crediderunt in Christum.

(i) *Chrysostromus in ser. de Passione. (a)* Non poterat ferre creatura injuriam creatoris: unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora; & ideo dicitur: *A sexta autem hora tenebre factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Origenes (tract. 35.)* Ab hoc textu quidam calumniantur evangelicam veritatem. Defectio enim solis à sæculo semper fuit in suo tempore facta; sed defectio solis, quæ secundum consuetudinem temporum ita currentium fieri solet, non in alio tempore fit, nisi in conventu solis, & lunæ, quando luna subtus currens, solis impedit radios occurrentis ei; in tempore autem quo passus est Christus, manifestum est quoniam conventus non erat lunæ ad solem, quoniam tempus erat paschale, quod consuetudinis est agere quando luna plena est. Quidam autem credentium volentes, defensionem aliquam inducere contra hoc dixerunt, quoniam illa defectio solis convenienter secundum cetera prodigia nova contra consuetudinem facta est. *Dionysius (in epistola 7.)* ad Policarpum Cum (3) ambo apud Heliopolim essemus, ambo simul incidentem mirabiliter soli lunam notabamus (non enim ejusce conjunctionis tunc aderat tempus) ipsamque rursus ab hora nona usque in vesperam ad solis diametrum supra naturæ vires restitutam. Insuper & eam lunæ incidentiam observavimus ab oriente cœpisse, & usque ad solaris corporis finem pervenisse, actum demum resillisse, nec ex ea, ut assolet, parte luminis defectum, & restitutionem contigisse, sed ex adverso diametri. *Chrysostromus (in hom. 89.)* Tribus etiam horis tenebræ permanserunt, cum eclipsis in momento transeat: non enim habet moram, ut sciunt illi qui consideraverunt. *Origenes (tract. 35.)* Sed adversus hoc filii hujus sæculi dicunt: Quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorum, aut Barbarorum scripsit eorum qui notaverunt, si quid tale novum factum est aliquando? Et Phlegon in Chronicis suis scripsit, in principatu Tiberii Cæsaris factum, sed non signavit in luna plena. Arbitror ergo sicut cetera signa, quæ facta sunt

in passione ipsius, scilicet velum scissum, & terra (1) tremens, & cetera in Hierusalem tantummodo facta sunt. Aut si latius voluerit quis extendere ad terram Judæam, sicut in tercio Libro Regum cap. 18. dixit Abdias ad Eliam: „ Vivit Deus tuus, si est gens, aut regnum, ubi non misit Dominus meus querere te: „ ostendens quoniam satis eum in Gentibus quaesierat circa Judæam. Est autem consequens intelligere quasdam tenebrosissimas nubes, & multas, & magnas concurrisse super Hierusalem, & terram Judæam: & ideo factæ sunt tenebræ profundæ à sexta hora usque ad nonam. Dux enim creaturæ in sexta die factæ fuisse intelliguntur, ante sextam quidem animalia, in sexta autem homo: & ideo conveniebat pro salute hominis morientem in hora sexta suspendi, & à sexta hora propter hoc tenebras fuisse factas super omnem terram usque ad nonam. Et sicut Moysè manus extendente in cælum, factæ sunt tenebræ super Ægyptios, servos Dei tenentes in servitute; similiter & Christo in sexta hora manus extendente in cruce, ad cælum super populum qui clamaverat, *Crucifige eum*, factæ sunt tenebræ, & ab omni lumine sunt privati, in signum futurarum tenebrarum, quæ comprehensuræ erant gentem Judæam. Item sub Moysè factæ sunt tenebræ super omnem terram Ægypti tribus diebus; omnibus autem filiis Israel erat lumen: sub Christo autem factæ sunt tenebræ super omnem Judæam tribus horis: quoniam propter peccata sua privati sunt à lumine Dei Patris, & à splendore Christi, & ab illuminatione Spiritus Sancti. Lumen autem super omnem reliquam terram, quod ubique illuminat omnem Ecclesiam Dei in Christo. Et si usque ad horam nonam tenebræ factæ fuerunt super Judæam, manifestum est quoniam iterum eis lumen refulsit: quia, cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet: „ Rom. 10. *Christosomus* (in homil. 89. Vel aliter. Hoc admirandum erat quod in omnem terram tenebræ sunt factæ, quod nunquam prius contigerat. In Ægypto enim solum tenebræ factæ sunt, quando pascha perficiendum erat: quæ enim tunc agebantur, horum typus erant. Et intueri, quod (2) fuerint tenebræ in media die, quando ubique terrarum dies erat: ut omnes qui habitabant terram, hoc miraculum cognoscerent. Hoc autem est signum quod (3) petentibus promittebat dare, dicens supra 12. *Generatio prava*, &

(1) *Al. tremuit. Sic autem sensum implet P. Nicolai.* Arbitror ergo, quod sicut cetera signa quæ facta sunt in passione ipsius (scilicet velum scissum, & terra tremens &c.) in Hierusalem tantummodo facta sunt, sic & istud &c. (2) *Al. sunt.* (3) *Al. precientibus.* (4) *Al. videre.* (5) *Al. abutis.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Lib. 10. de Trinitate.

adultera signum querit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ; & crucem signans, & resurrectionem. Etenim multo mirabilius est in eo qui crucifixus erat hoc fieri, quam ambulante eo super terram. Hoc autem sufficiens erat eos convertere: non solum magnitudine miraculi, sed quia hoc gestum est postquam omnia locuta fuerant quæ voluerant, & satiæatem acceperant contumeliarum. Qualiter autem non admirati sunt universi, neque æstimaverunt eum esse Deum? Quia scilicet hominum genus tunc multa malicia, & desidia detinebatur; & hoc miraculum factum confessum transit, & non noverant quæ esset causa ejus quod gerebatur. Et propter hoc ipse postea loquitur, ut ostendat se (4) vivere, & quod ipse hoc miraculum fecerat unde sequitur: *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: Eli Eli, lama sabachani: hoc est, Deus meus: Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hieronymus (supra Circa horam nonam). Principio vigesimi primi Psalmi (5) usus est. Illud vero quod est in medio versiculi, „ Respice in me, „ superfluum est: legitur enim in Hebræo: „ Eli Eli lama sabachani, „ hoc est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Ergo impii sunt qui Psalmum ex persona David, sive Esther, & Mardochei dictum putant, cum etiam Evangelistæ testimonia ex eo sumpta super Salvatore intelliguntur; ut est illud, „ Diviserunt sibi vestimenta mea: „ & „ foderunt manus meas. „ *Christosomus* (in hom. 80.) Ideo autem emisit propheticam vocem, ut usque ad ultimam horam testimonium perhibeat veteri testamento, & ut videant quoniam honorat Patrem, & non est Deo contrarius; & ideo Hebraicam vocem emisit, ut eis fieret cognita, & manifesta. *Origenes* (tract. 35.) Requiritur autem: Quid est quod à Deo derelictus est Christus? Et quidam quia non possunt exponere derelinqui Christum à Deo, dicunt quod pro humilitate dictum est. Sed manifeste intelligere poteris quid sit quod dicitur, faciens comparisonem gloriæ illius quam habuit apud Patrem, ad confusionem quam contemnens sustinuit crucem. *Hilarius* (can. 33.) Per hæc autem verba ingenia contendunt hæretica, quod aut defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, dum corpus officio animæ vivificat; aut omnino nec fuerit Christus hominatus, quia in eo Dei Verbum modo spiritus habitaverit prophetalis; quasi Jesus Christus ani-

animæ solum, & corporis esse communis, hoc habet sui exordium quo esse crepit homo, qui nunc à Dei Verbo contracta rursus protectione desertus clamat: *Deus meus, quare me dereliquisti?* Vel certe in animam Verbi natura mutata, paterno Christus in omnibus usus auxilio, nunc inops ejus, mortique permixta solitudinem suam conqueratur, relinquenteque se arguat. Sed inter has impias infirmæque sententias, Ecclesiæ fides imbuta apostolicis doctrinis non (1) patitur Jesum Christum, ne Filium Dei, & non Filium hominis intelligatur: nam querela derelicti morientis infirmitas est; promissio autem paradisi, viventis Dei regnum est. Habes in conquirente ad mortem relicto se esse, quia homo est; habes eum qui moritur presentem se in paradiso regnare, quia Deus est. Non ergo miseris verborum humilitatem, & querimonias derelicti, cum formam servi sciens, scandalum crucis videas. *Glossa*. (a) Dicitur autem Deus eum deseruisse in morte, quia potestati personarum eum exposuit: subtraxit enim protectionem, sed non solvit unionem. *Origenes* (tract. 35.) Postquam autem vidit super omnem terram Judæam tenebras, hoc dixit, ostendere volens: Dereliquisti me Pater; id est, talibus exitum calamitatis tradidisti, ut populus qui fuerat apud te honoratus, recipiat quæ in me ausus est, ut privetur à lumine tuæ propectionis; sed & pro salute Gentium dereliquisti me. Quid autem tam bonum fecerint, qui ex Gentibus crediderunt, ut pretioso sanguine super terram effuso pro eis, (2) eruerem eos à magisterio? Aut quid tale dignum factum sunt homines, pro quibus patior ista? Forsitan autem & videns peccata hominum pro quibus pariebatur, dixit: *Quare me dereliquisti?* ut fieret quasi quid colligit stipulam in messe, & facemos in vindemia. Non autem istimes hominam more Salvatore rem ita dixisse, propter calamitatem quæ comprehenderat eum in cruce: si enim ita acceperis, non audies magnam vocem ejus, quæ ostendit aliquid esse magnum absconditum. *Rabbanus* (super *Deus Deus meus*.) Vel Salvatore hoc dixit, nostris circumferens motus, qui in periculo positi à Deo deseri non putamus. Humana enim natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta; sed quia Filius Dei factus est nosse advocatus quorum suscepit culpam, deplorat miseriam: in quo

(1) *Al. patitur.* (2) *Al. emerem.* (3) *Al. injuriæ.* (4) *Al. omittitur id est.* Sic autem supplet Nicolai; id est, ex corporibus Gentium vitia corruptæ æternitatis accepit, & in se &c. (5) *Al. reperitur hic quæ in hoc facto implebatur.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec alibi occurrit, sed ex Damasceno quoad sensum colligi potest Lib. 3. Fidei orthodoxæ cap. 23. & ex Commentario expressius. (b) Non reperitur in Augustini sermonibus qui modo extant, sed inter Chrysostomi sermones, nempe serm. 6. quintæ ser. passionis, verbis aliquantulum transpositis.

ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit qui nunquam peccavit. Sequitur: *Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste.* Hieronymus. Non omnes: sed quidam: quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes Hebraicæ sermonis proprietatem; sed ex eo quod dixit, *Eli, Eli*, putant Eliam ab eo invocatum. Sin autem Judæos, qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, hoc more sibi solito fecisse, ut Dominum imbecillitatis infame, qui Eliæ auxilium deprecetur.

Sequitur: *Et continuo currens unus ex eis, accepit spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Augustinus in ser. de Passione. (b) Sic ergo propinator fontium potatur aceto, mellis dator cibatur felle, flagellatur remissio, condemnatur venia; illuditur majestas, ridetur virtus; perfunditur largitor imbrum spiritus; *Hilarius* (can. 33.) Est autem acetum vitinum quod per vitium aut (3) incuriam, aut vaissis acelcit; vinum autem est honor immortalitatis, aut virtus. Cum igitur in Adam coactus set, ipse accepit, & potavit ex Gentibus: In calamo enim, & spongia ut potaret offertur; (4) id est, ex corporibus Gentium in se ad communionem immortalitatis ea quæ in nobis erant vitia transfluidit, *Remigius*. Vel alior. Judæi acetum erant degredientes: à vino Patriarcharum, & Prophetarum, & habebant fraudulenta corda, quasi spongiam cæverosis, atque tortuosis labiulis. Per arundinem designatur sacra Scriptura, quæ in hoc facto implebatur: sicut enim lingua Hebræa, vel Græca dicitur loquela, quæ fit per linguam; sic & arundo dicitur posse littera, vel Scriptura; (5) quæ fit per arundinem, *Origenes* (tract. 35.) Et forsitan quicumque secundum doctrinam ecclesiasticam sapienter vivunt autem male, dant ei vitium bibere felle permixtum; quæ autem alienas à veritate sententias applicent Christo, quasi eas dicenti, hi spongiam implentes aceto imponunt calamo Scripturæ, & offerunt ori ejus, non erant

(1) *Sequitur: Ceteri vero dicebant: Sine, videlicet an veniat. Elias liberans eum.* Rabbanus (hæc loco.) Quia enim milites præteritum vocis domesticæ intelligebant, ideo inanimiter adventum Eliæ expectabant. Deum ergo quem Salvatore Hebraico sermone invocabat inseparabiliter

semper secum habebat. *Augustinus* in serm. de Passione (a) (ubi supra). Cum ergo nil jam Christo restaret ex pœnis, mors moratur, quia suum esse ibi nil sentit. Suspecta est vetustati novitas. Hunc primum, hunc solum vidit hominem peccati nescium, noxæ liberum, juris sui legibus nil debentem. Accedit tamen confœderata Judæo mors furori, & desperata vitæ invadit auctorem: unde sequitur: *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Quare autem displicet, si Christus de sinu Patris ad nostram servitutem venit, ut nos suæ redderet libertatis, nostram mortem suscepit, ut nos ejus morte liberemur; quando nos despectu mortis mortales in deos retulit, terrenos cœlestibus æstimavit? Quantum enim divina virtus operum contemptatione lucebat, tantum pati pro subiectis, pro servis mori, inigne est caritatis imense. Ergo hæc prima causa est dominicæ passionis, quia sciri voluit quantum amaret hominem Deus, qui plus amari voluit quam timeri. Secunda causa est ut sententiam mortis, quam juste dederat, justius aboleret. Quia namque primus homo, adjudicante Deo, de reatu incurerat mortem, & eam transmisit ad posterum, venit de cœlo secundus homo peccati nescius, ut mors damnaretur, quæ sapere iusta reos, innocentiam invadere præsumpsit auctorem. Nec mirandum est, si pro nobis posuit quod suscepit a nobis, scilicet animam, qui propter nos fecit tanta, & talia largitus est nobis. *Augustinus* contra Felicianum (cap. 14.) Absit enim à fidelibus ista suspicio, ut sic Christus senserit mortem nostram, ut quantum in se est, vita perderet vitam. Nam si hoc ita esset, quomodo illud triduo potuisse dicimus aliquid vivere, si vitæ fons dicitur aruisse? Sensit igitur mortem deitas Christi participatione humana, sive humani affectus, quem sponte susceperat, non naturæ suæ potentiam perdidit, per quam cuncta vivificat. In morte enim nostra sine dubio desitutum vitæ corpus animam nostram non perimit, dum discedens anima non vim suam perdit, sed quod vivificaverat hoc dimittit, & quantum in se est, alterius mortem facit, ipsa non recipit. De Salvatoris nunc anima dicemus, qui ut non dicam propter inhabitantem divinitatem, & propter justitiam singularem, certe propter communem moriendi formam corpus illo triduo sic potuit deserere, ut ipsa non posset penitus interire. Cre-

(1) *Al. desit. sic.* (2) *Al. Neque enim anima.* (3) *Al. præter hypostasim Verbi.* (4) *Al. amittitur sed.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in sermonibus de Pasch. nec in sermonibus de Pass. qui nunc extant, ut nec alibi occurrere potuit. (b) Non eadem serie qua hic, quoad primam partem super illud, *Ierum clamans emisit spiritum*; quoad secundam super illud, *Ierum Filius Dei erat ille.*

do enim Dei Filium mortuum esse, non secum dum penam injustitiæ, quam ex toto non habuit, sed secundum legem naturæ, quam pro humani generis redemptione suscepit. *Damasianus* (Lib. 3. de Fid. orth. cap. 27.) Esti tamen mortuus est ut homo, & sancta ejus anima ab incontaminato divisa est corpore; tamen deitas, inseparabilis ab utriusque permanit; ab anima, dico, & corpore. Et neque (1) sic una hypostasis in duas divisa est: corpus enim, & anima, sicut à principio in Verbi hypostasi habuerunt existentiam, ita etiam in morte. (2) Numquam enim neque anima, neque corpus propriam habuerant hypostasim, (3) præter eam quæ Verbi est hypostasis. *Hieronymus* (b) (super Voce magna.) Divinæ autem potestatis indicium est emittere spiritum, ut ipse quoque dixerat Joan. 10. „ Nemo potest tollere animam meam à me; sed ego pono eam, & iterum sumo eam: „ spiritum enim in hoc loco pro anima intelligamus, seu quod vitale, aut spirituale corpus faciat, seu quod ipsius animæ substantia spiritus sit, juxta id quod scriptum est Psal. 103. „ Auferes spiritum eorum, & deficient. „ *Chrysostomus* (in hom. 89.) Propter hoc autem & voce magna clamavit, ut ostendatur quoniam secundum ejus potestatem id geritur. Per hoc enim quod moriens vocem emisit magnam, aperitissime se verum Deum esse ostendit: quoniam homines cum moriuntur, vix tenuem vocem emittere possunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 88.) Quid autem voce magna dixerit, Lucas declaravit: dixit enim cap. 23. „ Et clamans, „ Iesus voce magna, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. „ *Hilarius* (can. 33.) Vel spiritum cum clamore magna vocis emisit, dolens se non omnia peccata portare.

(k) *Origenes* (tract. 35.) Magna facta sunt ex eo quod magna voce clamavit Iesus: unde sequitur: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 19.) In quo satis ostendit tunc esse scissum cum emisit spiritum. Si autem non addidisset, *Et ecce*; (4) sed simpliciter dixisset, *Et velum templi scissum est*, incertum esset utrum ipse, & Marcus hoc recapitulando commemorassent; Lucas autem ordinem tenuisset, qui cum dixisset cap. 33. „ Sol obscuratus est, &

continuo subjungendum æstimavit, „ Et ve-

lum templi scissum est: an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent. *Origenes* (tract. 35.) Duo autem fuisse vela intelliguntur: unum quod velat Sancta Sanctorum, aliud exterius sive tabernaculi, sive templi. In passione ergo Domini Salvatoris, velum quod erat à foris, concissum est à sursum usque deorsum, ut ab initio mundi usque ad finem confisso velamine, mysteria publicentur, quæ usque ad adventum Domini rationabiliter fuerunt occulta. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc auferetur etiam secundum velum, ut videamus etiam quæ interiorius sunt occulta, scilicet veram arcam testamenti, & sicut ipsa se habet natura, videamus Cherubim, & alia. *Hilarius* (can. 33.) Vel ideo velum templi scinditur, quia exinde populus est divisus in partes, & veli honor cum custodia Angeli protegentis auferatur. *Leo* Papa in ser. de Passione (10. & 17.) Est autem ad testimonium veneranda passionis sufficiens signum elementorum (1) inopinata turbatio: unde sequitur: *Et terra mota est, & petre scisse sunt, & monumenta aperta sunt.* *Hieronymus* (super Terra mota est.) Nulli enim dubium est quid significet juxta litteram magnitudo signorum, ut crucifixum Dominum suum & cælum, & terram, & omnia demonstrarent. *Hilarius* (can. 33.) Movetur terra quia capax hujus mortui esse non poterat; *petre scisse sunt*, omnia enim validas & fortia penetrans Dei Verbum, & potestas æternæ virtutis irruperat; *et monumenta aperta sunt*, erant enim mortis (2) elaustra relecta. Sequitur: *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*: illuminans enim mortis tenebras, & infernorum obscura collustrans, mortis spolia detrahebat. *Chrysostomus* (in homil. 89.) Ipso quidem in cruce manente eum irridentes dicebant: *Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere.* (3) Sed quod in se facere noluit, in fervorem corporibus, cum multa superabundantia demonstravit. Si enim quadratum Lazarum exurgere magnum fuit multo magis eos repente qui olim dormierant, apparere viventes; quod futuræ resurrectionis erat indicium. Ut autem non putaretur esse phantasma quod factum est; Evangelista subjungit: *Et exegit de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* *Hieronymus*. Quomodo autem Lazarus mortuus surrexit, sic & multa corpora sanctorum surrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem; & tamen cum monumenta aperta sunt, non ante surrexerunt quam resurgeret Dominus, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. Sanctam autem civitatem, in qua

S. Thom. Oper. Tom. VIII. Q 5

(1) *Al. inordinata.* (2) *Al. claustra.* (3) *Al. & quod.* (4) *Al. hic.*

visti sunt resurgentes, aut Hierosalem cœlestem intelligamus, aut hanc terrenam, quæ ante sancta fuerat: sancta enim appellabatur civitas Hierosalem propter templum, & sancta sanctorum, & ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando vero dicitur, *Apparuerunt multis*, ostenditur non generalis fuisse resurrectio quæ omnibus apparet, sed specialis ad plurimos, ut hi viderent qui cernere merebantur. *Remigius*. Quæret autem aliquis quid de illis factum sit qui resurgente Domino surrexerunt. Credendum quippe est quoniam ideo surrexerunt ut testes essent dominicæ resurrectionis. Quidam autem dixerunt, quod iterum mortui sunt, & in cinerem conversi, sicut & Lazarus, & ceteri, quos Dominus resuscitavit. Sed istud dicitur nullo modo esse fides accommodanda: quoniam majus illis esset tormentum qui surrexerunt, si iterum mortui essent, quam si non resurgerent. Incunctanter ergo credere debemus quia qui resurgente Domino à mortuis resurrexerunt, ascendente eo ad cælos, & ipsi pariter ascenderunt. *Origenes* (tract. 35.) Semper autem (4) hæc eadem magna quotidie fiunt: velum enim templi ad revelandum quæ intus habentur scinditur sanctis. Terra etiam movetur, id est omnis caro, novo verbo, & novis rebus secundum novum testamentum. Petre autem scinduntur, quæ misterium fuerunt Prophetarum, ut in profundis eorum posita spiritualia mysteria videamus. Monumenta autem dicuntur corpora peccatricum animarum, id est mortuorum Deo: cum autem per gratiam Dei animæ hujusmodi fuerint suscitata, corpora eorum, quæ prius fuerunt monumenta, sunt corpora sanctorum, & videtur à seipsis exire, & sequuntur eum qui surrexit, & in novitate vitæ ambulat cum eo: & qui digni sunt habere conversationem in cælis, ingrediuntur in sanctam civitatem per singula tempora & apparent multis videntibus opera bona ipsorum.

Sequitur: *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* *Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 3. cap. 20.) Non est contrarium quod Matthæus viso terræ motu dicit admiratum Centurionem, & eos qui cum eo erant; cum Lucas dicat hoc admiratum quod emissâ magna voce expirasset: in eo enim quod Matthæus non solum dixit, *Viso terræ motu*, sed & addidit, *his quæ fiebant*; integrum locum fuisse demonstravit Lucas, ut diceret Centurionem ipsam Domini mortem fuisse miratum: quia & hoc inter illa est quæ tunc mirabiliter facta erant. *Hieronymus* (super Centu-

rio autem.) Ex hoc considerandum, quod Centurio in ipso scandalo passionis vere Dei Filium confiteatur, & Arius in Ecclesia praedicet creaturam. *Rabbanus* (super *Videns haec Centurio*.) Unde merito per Centurionem fides Ecclesiae designatur, quae (1) velo mysteriorum caelestium per mortem Domini referato, continuo Jesum & vere justum hominem, & vere Dei Filium, synagoga tacente, confirmat. *Leo* in serm. de Pas. (13.) Exemplo igitur Centurionis contremiscat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petrae, & qui mortalitatis gravabantur sepulcris, discussa obitaculorum mora proflant; apparent nunc quoque in civitate sancta, idest Ecclesia Dei, futurae resurrectionis indicia; & quod credendum est in corporibus, fiat in cordibus.

Sequitur: *Erant autem ibi mulieres multae à longe, quae secutaerant Jesum à Galilaea, ministrantes ei.* *Hieronymus* (super *Erant autem ibi mulieres*.) Consuetudinis enim Judaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis (2) antiquo, ut mulieres de substantia sua victum, atque vestitum praceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum facere poterat in Gentibus, Paulus abjecisse se memorat. Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret illarum carnalia, cujus illae metebant spiritualia: non quia indigebat cibis Dominus creatorarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quia victum, atque vestitum discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit: sequitur enim: *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & mater filiorum Zebedaei.* *Origenes* (tract. 35.) Apud Marcum autem tertia illa Salome appellatur. *Chrysostomus* (in hom. 89. ante med.) Haec autem mulieres considerant quae gerebantur, quae maxime erant compassibiles (3) & quae sequebantur ministrantes usque ad pericula (4) affuerunt, maximam fortitudinem ostendentes: quia cum discipuli fugerant, ipsae affuerunt. *Hieronymus* contra *Helvidium* (parum à med. illius.) Ecce (5) (inquit *Helvidius*) *Jacobus*, & *Joseph* sunt filii Mariae matris Domini, quos Judaei appellaverunt fratres Christi. Dicit autem *Jacobi* minoris ad distinctionem *Jacobi* majoris, qui erat filius *Zebedaei*. *Impium* enim dicit esse *Helvidius* hoc sentire de Maria, ut cum aliae foeminae ibi fuerint, matrem ejus abesse dicamus; aut alteram esse Mariam, nescio quam confingamus.

(1) *Al.* vero. (2) *Al.* antiquae. (3) *Al.* committit &. *Legit P. Nicolai* Et vide constantiam eorum: sequebantur &. (4) *Al.* attulerunt. (5) *Al.* innuit. (6) *In Veneta Nicolini Editione* 1593. hic interponitur & Maria Jacobi minoris. (7) *P. Nicolajus* ponit appellatum. (8) *Al.* ubi. (9) *Al.* Lucas.

mus, praesertim cum Evangelium Joannis refertur eam illic fuisse praesentem. O furor caecus, & in proprium exitium mens vesana! Audi quid Joannes Evangelista dicat cap. 19., *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophae, & Maria Magdalene.* Nulli dubium est duos fuisse Apostolos, *Jacobi* nuncupatos vocabulo, *Jacobum Zebedaei*, & *Jacobum Alphaei*. Iste autem nescio quis minor *Jacobus*, quem Mariae filium Scriptura commemorat, si Apostolus est, *Alphaei* filius erit; si non est Apostolus, sed tertius nescio quis *Jacobus*, quomodo putandus est frater Domini, & quomodo tertium ad distinctionem majoris minor appellabitur? cum major & minor non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam; & frater Domini (6) Apostolus sit, Paulo dicente ad *Gal.* 1., *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Ne autem hunc *Jacobum* putes filium *Zebedaei*, lege *Actus Apostolorum* cap. 12. jam ab *Herode* fuerat interceptus. Restat conclusio, ut Maria ista, quae *Jacobi* minoris scribitur mater, fuerit uxor *Alphaei*, & soror Mariae matris Domini, quam *Mariam Cleophae* Joannes Evangelista commemorat. Si autem inde tibi alia atque alia videtur; quod alibi dicitur *Maria Jacobi minoris mater*, & alibi *Maria Cleophae*, dices Scripturae consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus (7) appellari: sicut *Raguel* fover *Moyse* si *Jetro* dicitur. Et similiter dicitur *Maria Cleophae* uxor *Alphaei*: haec eadem dicta est *Maria mater Jacobi minoris*; quae si mater esset Domini, magis eam, ut in omnibus locis, matrem alterius voluisset intelligi. Verum etsi alia fuerit *Maria Cleophae*, & alia *Maria Jacobi*, & *Joseph* mater; hoc tamen constat non eandem *Mariam Jacobi*, & *Joseph* esse quam matrem Domini. *Augustinus* de *Con. Evang.* (Lib. 3. cap. 21.) Posses autem dicere alias mulieres à longe, ut tres Evangelista dicunt, & alias juxta crucem fuisse, ut Joannes dicit (8) nisi *Matthaeus*, & (9) *Marcus* *Mariam Magdalene* nominassent inter stantes longe, quam scilicet Joannes nominavit inter stantes juxta crucem. Quomodo autem hoc intelligitur, nisi quia eo intervallo erant ut & juxta dici possent, quia in conspectu ejus praesto aderant, & à longe in comparatione turbae propinquius circumstantibus cum Centurione, & militibus. Possimus etiam intelligere quod illae quae simul aderant cum

matre Domini: postquam eam discipulo commendavit, abire jam ceperant, ut à densitate turbae (1) emerent, & cetera quae facta sunt, longius intuerentur, ut Evangelista, qui post mortem Domini eas commemoraverunt, & longe stantes commemorarent. *Glossa* (a) Postquam Evangelista retulerat ordinem dominicae passionis, & mortem, nunc agit de ejus sepultura, dicens: *Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dicens ab Arimathea nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Remigijs.* *Arimathea* ipsa est & *Ramatha* civitas *Helcanae*, & *Samuelis*, quae sita est in regione *Chananitica* juxta *Diosopolim*. Iste autem *Joseph*, secundum saeculi statum, magnae fuit dignitatis, sed multo majoris meriti apud Deum fuisse laudatur, siquidem justus fuisse describitur. Dicebat quippe eum talem existere qui corpus Domini sepeliret, quatenus per justitiam meritorum dignus esset tali officio. *Hieronymus* (super *Cum sero esset factum*.) *Dives* autem refertur non de iactantia Scriptoris, quo virum nobilem, atque ditissimum refert Jesu fuisse discipulum; sed ut ostendat causam quare à *Pilato* corpus Christi potuerit impetrare. Sequitur: *Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu: pauperes enim, & ignoti non essent aucti ad Pilatum praesidem Romanae potestatis accedere. & crucifixi corpus impetrare.* In alio autem Evangelio *Joseph* iste *Bulites* appellatur, idest consiliarius; & de ipso quidem putant primum Psalmum fuisse compositum. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. *Chrysostomus* (in hom. 89.) Inspice autem hujus viri fortitudinem: in mortis enim periculum se tradidit, inimicitias ad omnes assumens, propter benevolentiam Christi; & non solum audeo corpus Christi petere, sed & sepelire: unde sequitur: *Et accepit corpus Jesu, & involvit illud in sindone munda.* *Hieronymus* (super *Et recepit Joseph corpus*.) Ex simplici sepultura Domini, ambitio divitum condemnatur, qui nec in rumulis quidem possunt carere divitiis. Possimus autem juxta intelligentiam spirituales & hoc sentire, quod corpus Domini non auro, nec gemmis, non serico, sed lineamine puro involvendum sit; quamquam & hoc significet, quod ille in sindone munda involvit Jesum qui puramente eum susceperit. *Remigijs.* Vel aliter. Quia sindonem lineam panis est, linum autem ex terra procreatur, & cum magno labore ad candorem perducitur, designatur quia corpus illius, quod ex

terra, idest ex virgine, sumptum est; per laborem passionis pervenit ad candorem immortalitatis. *Rabbanus* (super *Et involvit eum in sindone*.) Hinc etiam Ecclesia mos obtinuit ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur; ut à beato Papa *Silvestro* legimus esse statutum. Sequitur: *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.* *Augustinus* in serm. de *Sabbato sancto* (b) serm. 11. & est in ordine (ser. 133.) Ideo autem *Salvator* in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Ut quid ergo in propria sepultura qui in se mortem propriam non habebat? Ut quid illi tumulus in terris cujus sedes manebat in caelis? Ut quid illi sepultura propria, qui triduum tantum temporis spatio in sepulcro non tam mortuus jacuit, quam velut in lectulo conquievit? Sepulcrum autem mortis est habitaculum necessarium: ergo non erat mortis habitaculum Christo, quia vitalis est; nec opus habebat semper vivens habitaculo defunctorum. *Hieronymus* (super *Et posuit*.) In novo autem ponitur monumento, ne post resurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingere tur. Potest autem & novum sepulcrum, *Mariae* virginalem iterum demonstrare. In monumento autem exciso in petra conditus est, ne si ex multis lapidibus edificatus fuisset, suffosis tumuli fundamentis ablatu furto diceretur. *Augustinus* in serm. de *Sabbato sancto* (c) (ut supra.) Si etiam sepulcrum fuisset in terra, dicere poterant, Suffoderunt terram, & furati sunt eum. Si fuisset lapis parvulus superpositus, dicere poterant, Dormientibus nobis tulerunt eum: unde sequitur: *Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit Hieronymus* (super *Posuit in monumento*.) Saxum enim magnum appositum ostendit, non absque auxilio plurimum sepulcrum potuisse referari. *Historicus* (causa 33.) Mystica autem *Joseph* Apostolorum habet speciem. Hic in munda sindone corpus involvit, & quidem in hoc eodem lineo reperimus de caelo ad Petrum universorum animantium genera submissa: ex quo intelligitur sub lineo illius nomine consepeliri Christo Ecclesiam. Domini ergo corpus infertur in vacuum, & novam requiem lapidis exciit, quia per Apostolorum doctrinam (2) in peccatis dimittit gentilibus quodam doctrinae opere excidium Christus infertur, rudes scilicet, ac novum, & nullo antea ingressu (3) timoris Dei pervium. Et quia nil praeterit eum.

(1) *Al.* exuerent. (2) *Al.* impetus. (3) *Al.* timore. *Ex edit. P. Nicolai.* (a) Nec in *Glossa* quae nunc est, nec alibi occurrit. (b) Qui est 33. de tempore. Hoc autem etiam inter *Ambrosii* sermones reperitur. (c) Nec apud *Augustinum* in altero sermonum qui de *Sabbato sancto* inscribuntur, nec alibi occurrit.

cum oportet in pectora nostra penetrare; lapis officio advolvitur, ut quia nullus antea in nos divina cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur. *Origenes* (tract. 35.) Non autem fortuito scriptum est, quoniam involvit corpus in sindone munda, & posuit in monumento novo, & quod advolvit lapidem magnum: quoniam omnia quæ sunt circa corpus Jesu, munda sunt, & nova, & omnia magna valde. *Remigius*. Postquam autem corpus Domini sepultum est, ceteris ad propria remeantibus, sola mulieres, quæ cum arctius amaverunt, perseveraverunt, & diligenti cura notaverunt locum in quo corpus Domini poneretur; quatenus congruo tempore munus suæ devotionis ei offerrent; & ideo sequitur: *Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulcrum.* *Origenes* (tract. 35.) Mater autem filiorum Zebedæi non scribitur sedere contra sepulcrum: forsitan enim usque ad crucem pervenire potuit. Iste autem, quasi majores in caritate, neque his quæ postea gesta sunt defuerunt. *Hieronymus* (super *Erant autem ibi Maria Magdalene, &c.*) Vel, ceteris relinquuntibus Dominum, mulieres in officio perseverant, expectantes quod promiserat Jesus; & ideo meruerunt primæ videre resurrectionem, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: supra 10. & 24. *Remigius*. Quod usque hodie sanctæ mulieres, idest humiles animæ sanctorum, in hoc sæculo faciunt, & pia curiositate attendunt quemadmodum passio Christi completa sit.

(m) *Hieronymus* (super *Sube custodi sepulcrum.*) Non suffecerat principibus sacerdotum crucifixisse Dominum Salvatorem, nisi sepulcrum custodirent, & quantum in illis est, manus imponerent resurgenti: unde dicitur: *Altera autem die, quæ est post parasceven.* (super *Altera autem die post parasceven.*) Parasceve dicitur præparatio: hoc nomine vocatur sexta sabbati, in qua præparabant necessaria sabbato, ut de manna dictum est Exod. 16. 4. Sexta die colligitis duplum: quia enim sexta die factus est homo, in septima requievit Deus; ideo sexto die Jesus pro homine moritur, & in sabbato quievit in sepulcro. *Hieronymus* (a) Principes autem sacerdotum licet immensum facinus in nece Domini perpetraverint, tamen non sufficit eis, nisi etiam post mortem ejus conceptæ nequitie virus exerceant, famem ejus lacerantes; & quem innocentem sciebant, seducto-

(1) Al. quod post &c.

Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex Hieronymo, ex quo etiam Glossa citat, non occurrit in Hieronymo, sed in Rabano. (b) Neque rursus in sermonibus Augustini occurrit, ut nec alibi; etsi non semel triduane resurrectionis Christi causam reddidit.

rem vocant: unde dicunt: *Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit.* Sicut autem Caiaphas ignorans ante prophetaverat dicens Joan. 11. 49. Expedi unum hominem mori pro populo, & non tota gens pereat: sic modo: seductor enim erat Christus non a veritate in errorem mittens; sed a falsitate in veritatem, a vitiiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens. *Remigius*. Ex hoc autem dicunt eum dixisse, (1) *Post tres dies resurgam*, quia dixerat supra 12. *Sicut fuit Jonas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti &c.* Sed videndum quomodo post tres dies resurrexerit. Nonnulli voluerunt tres horas tenebrarum, unam intelligi noctem; & lucem quæ secuta est tenebras, diem: sed huius vim figurate locutionis ignoraverunt. Figurata enim sexta feria qua passus est, comprehendit noctem præcedentem; sequitur autem nox sabbati cum suo die; nox vero dominici diei comprehendit suum diem: ac per hoc verum est quod post triduum resurrexit. *Augustinus* in serm. de Pass. (b) (ubi supra.) Ideo autem post tres dies resurrexit, ut in passione Filii totius Trinitatis monstraretur assensus: triduum enim legitur in figura, quia Trinitas, quæ in principio fecerat hominem, ipsa in fine hominem per Christi reparat passionem.

Sequitur: *Sube ergo custodi sepulcrum usque in tertium diem.* *Rabanus* (super *Fuerunt, & dicant plebi.*) Discipuli enim Christi fures spiritualiter erant: quia ab ingratis Judæis scripta novi & veteris testamenti ablata in usum Ecclesie conferabant, & Salvatorem qui eis promissus fuerat, illis nocte dormientibus, hoc est infidelitate torpentibus, abfulerunt, Gentibus credendum tradentes. *Hilaris* (can. 33.) Merus furandi corporis, & sepulcri custodia, atque obsignatio, stultitiæ; atque infidelitatis testimonium est: quod signare sepulcrum ejus voluerunt, cujus præcepto confopissent de sepulcro mortuum suscitatum. *Rabanus* (hoc loco.) In hoc autem quod dicitur: *Et erit novissimus error peior prioris*, ignoranter verum dicitur: peior enim fuit contemptus penitentiae in Judæis quam error ignorantie. *Chrysostomus* in hom. 90. Vide etiam qualiter nolentes conceant ad demonstrandam veritatem: irrefragabilis enim demonstratio resurrectionis facta est per ea quæ prætulerunt: quia enim custoditum est sepulcrum, nulla frans facta est. Si autem frans facta non est, manifeste, & irrefragabiliter Dominus surrexit, Quid autem Pilatus respondeat sub-

jun-

jungitur: *At illis Pilatus: Habebis custodiam ita, custodite, sicut scitis.* *Rabanus* (super *Habebis custodiam.*) Quasi dicat: Sufficiat vobis quod consenti in necem innocentis; de cetero vester error vobiscum permaneat.

Sequitur: *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.* *Chry-*

sostomus in hom. 110. Non autem permittit Pilatus solos milites sigillare: si enim soli milites sigillassent, passent dicere quoniam milites permiserunt quod discipuli corpus Domini furarentur, & ita resurrectionis infringere fidem; nunc hoc dicere non possunt, cum ipsimet sepulcrum sigillassent.

CAPUT XXVIII.

(a) **V**espere autem sabbati, quæ lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de celo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est quaesistis. Non est hic: surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum ubi positus erat Dominus: & cito euntes, dicite discipulis ejus, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.

(b) Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens, Ave. Illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam: ibi me videbunt.

(c) Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite: Quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

(d) Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Jesus: & videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

(a) **A**ugustinus in serm. de Resur. (a) Post illusiones, & verbera, post acetum, & fellis pocula mixta, post supplicia crucis, & vulnera, & postremo post ipsam mortem, & inferos, surrexit de suo funere caro nova, reddit ab occiduo latens vita, & in morte salus reservata resurgit, pulchrior reditura post funus. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 24.) De hora vero qua mulieres venerunt ad monumentum, non contemnenda exoritur quaestio. Cum enim *Matthæus* hic dicat: *Vespere autem sabbati quæ lucebat in prima sabbati*: quid est quod dicit *Mareus*: Et valde mane una sabbatorum venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulcrum? Aperte quippe

prima noctis, quod est vespere, ipsam noctem voluit significare *Matthæus*, cujus noctis sine venerunt ad monumentum: ergo quoniam sabbato impediabant ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem ex quo eis licere cepit ut facerent quodcumque vellent tempore ejusdem noctis. Sic itaque dictum est: *Vespere sabbati*, ac si diceretur, nocte sabbati, idest nocte sabbati, idest nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba ejus satis indicant: sic enim ait: *Quæ lucebat in prima sabbati*: quod fieri non potest nisi tantummodo primam noctis particulam, idest solum initium noctis, intellexerimus dicto vespere significatum. Neque enim ipsum initium noctis lucebat in prima

R 5

Ex edit. P. Nicol. (a) In Augustino non habetur inter sermones qui nunc extant, sed apud Chrysostomum hom. 3. de Resur.